

gus dulcedine captum deludebat, sed pro-
uectos & ingeniosos viros obtrectantes in
reliquis, ad confessionem eloquentiæ
coëgit: Siquidem & veteres Comici (ut
ait Cicero) cum illi maledicerent (quod
tunc Athenis fieri licebat) leporem ta-
men melle dulciorem, in labris eius ha-
buisse dixerunt, tantamq; in eo vim fui-
se, ut in eorum mentibus qui illum audis-
sent, quasi aculeos quosdam relinqueret.

ANTIPATER SIDONIUS.

ANtipater Sidonius quidam, tam ex-
ercitati ingenij fuisse creditur, ut ver-
sus hexametros aliosque diuersorum ge-
nerum, ex improviso copiosè diceret.
Quocunque animum linguamque ver-
tisset, nil operosius illi quam sermo Vul-
garis aliis solet, huic numeri aderant, &
carmina resonabant. Fecisse feruntur
idem ex modernis quidam, sed tam pue-
riliter tamque ridiculè, ut iudice me, nec
nomen nec locum inter illustria merean-
tur. Deinceps parumper frena stilo laxen-
tur, ut non tam præterito defessus, quam
venturo se præparans labori, in aliquod
vicinum gratumque diuersorium desce-
dat Oratio.

g. üij.